



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Male Ablata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

mentum, ut si quis impetraret beneficium juris patronatus à Papa, sine derogatione, tunc potest per regios officiales impediri, Covar. c. 36, n. 9, pract. quest.

### MALE ABLATA.

**M**alè ablatorum restitutio facienda relicta à testatore, potest fieri per hæredes, vel executores relictos ab ipso testatore, tamen cum consilio Episcopi, Covar. in c. nos quidem, n. 8, ver. secundò colligo, de testam. si verò non est datus executor, vel si qui est datus, suspectus est, tunc ad Episcopum pertinet, Host. in c. cum sit, de testam. & dictum est supra, in ver. Episcopus, §. 29.

### MAGISTER CÆREMONIARUM.

**P**rimò, an Magister cæremoniarum sit constituendus in qualibet cathedrali?

Secundò, quando incœperunt cæremonia?

Tertiò, à quo fuerunt instituta?

Quartò, ad quid deserviunt?

Quintò, quis eligendus?

Ad primum respondetur, quòd non solum est utilissimum, sed per necessarium, tum quia ita observat Ecclesia Romana, norma, & magistra omnium Ecclesiarum, & omnes cathedrales benè instituta, tum quia omnia, quæ sunt, à Deo ordinata sunt, ad Romanos cap. 13, Cantic. c. 2, Ordinavit in me charitatem, & Dion. Areopagita libro quarto

Cælest. Hierar. ipse namque magister cæremoniarum omnia ordinatè in divinis officiis disponit, velut Ecclesiastica Hierarchia cælesti æmuletur, ubi spiritus illi cælestes assistunt coram Deo, & Agno, mirabili cæremoniarum ordine, prout est videre apud Ezechielem, Isaiam, Danielelem, Apocalypf. Ignatium, & cæteros.

Ad secundum, in veteri Testamento, Exodi cap. 18. Deut. c. 4, 3, Reg. c. 2. in novo, Ioan. c. 11, Marci c. 7, Luca c. 22, 1. Timothi: cap. 2, Luc. cap. 18. & pluribus aliis locis brevitatis causa omissis.

Ad tertium, fuerunt instituta, & indicta à Deo, & à Christo, ab Apostolis, & sanctissimis Patribus ad honorem Dei, & ad utilitatem nostram, prout patebit Doctoribus infra citandis.

Ad quartum. Deserviunt primò ad excitandam nostram somnolentiam à mole corporali ad spiritualia: secundò, à visibilibus ad invisibilia: tertio, ad humiliandam nostram cervicem superbam, illis quippe instruimur, monemur, erudimur, illisque præparamur, & proficimus in gratia, & charitate, & veluti per gradus quosdam ad divina mysteria evehimur, ut capitis detectio, elevatio oculorum, extensio brachiorum, aperitio palmarum, prosternationes, manuum junctiones, genuflexiones, reverentia, curvationes cervicum, variatio vocis, cantus, tonorum, colorum, thymista, suffitus, sessiones, stationes, diversitas indumentorum, & omnia, quæ aguntur per ministerium fervorum Dei, exorcismis,